

Vnde discamus. Fœdera cum vicinis de nō lædendo & de pace colenda esse non solum licita, sed & necessaria, etiā cum infidelibus, modo non illis fidatur, neque impietati eorū participetur. Nam sine pace non bene stat societas humana, neque cultus Dei exercetur: Esse etiam vtilia Reipublicæ & Ecclesiæ, modo fiant in Domino & cum honestate. Deinde pacis publicæ vsum discamus hunc etiam præcipue, vt verus Dei cultus vigeat, non vt otio aut lasciuiæ indulgeatur.

Dicitur Abraham plantasse nemus seu lucum, hoc est, hortum vel pomarium, non tam ad cultum Dei sicut idololatræ idola sua colere solebant in lucis, quam ad vsum domesticos. *ἄρβυρον* enim significat arborem quamcunque, vel etiam paradysum, hoc est, hortum amœnum. LXX. reddiderunt *ἀρβυρον*, plantauit agrum iuxta puteum. Id fuit argumentum securitatis. Prius tanquam hospes dubiæ mansionis nihil plantauerat.

INVOCAVIT IBI NOMEN I EHOVÆ. Etiam prius inuocauerat, sed tunc maiore securitate & zelo publicas

A conciones, preces, sacrificia *ἁγίασμα* cum suis celebrauit, pro inita pace. Exemplum est gratitudinis.

HABITAVIT AVTEM IBI MVLTIS DIEBUS. Tandem Deus post varias agitationes tranquillam sedem ei cōcessit ad tempus. Quamdiu ibi manserit non satis liquet. Hebræi putant annis 26. vel 27. Etiam post oblatum Isaac habitavit Beerseba cap. 22. ver. 19. Non multo post putatur inde remigrasse in Hebron: vbi Sara mortua fuit atque sepulta, post annos ab hinc triginta circiter cap. 23. ver. 2. Videtur non infra 37. vel 38. annos habitasse in Beerseba. Nam eo venerat ante conceptum & natum Isaac. Si ibi mansit vsque post mortem Saræ, anni fuerunt 38. Nam à nato Isaac ad mortem Saræ sunt anni 37. Ita Deus suis aliquando concedit halcyonia, vt à certaminibus respirent: Sed quæ cito nō uis tentationibus plerunque abruptit, quia fidei nihil melius est, quam cruce exerceri, vt fiat auro quouis probatior, quod exemplo Abrahami sequente docebitur.

## CAPITIS XXII.

### Argumentum, Vsus, Partitio.

**H**istoria de immolatione Isaaci filii dilectissimi, à patre Abrahamo Dei iussu suscepta, primo intuitu est horrenda, & à sensu humano atq; etiam à natura Dei aliena. Videtur enim Deus delectari fusione sanguinis innocentis, & destructione creaturæ suæ, quia iubet Abrahamum mactare Isaacum innocentem. Videtur & monstro simile, quod Abraham senex non dubitat fieri carnifex vnici filii sui. Sed finis atq; exitus historia facile & Deum atq; Abrahamum ab omni crudelitatis aut truculentia calumnia vindicat, & nobis multiplicem doctrinam suggerit. Ad Deum enim quod attinet, præcepit is immolationem Isaaci, nō quod requirat sanguinem aut victimas humanas, sicut dii gentilium cruore humano litari sibi voluerunt, imo expresse Deus humanas victimas prohibuit Deut. 12. 51. sed ad tentandum Abrahamum, hoc est, ad explorandam & patefaciendā mundo eximiam eius fidem constantiam & obedientiam. Et reuera Isaacum mactari noluit, quod euentus ostendit, licet tentandi causa mactari iuberet. Abraham quoq; nulla *ἀσπυγία* in filium aut in naturam peccauit, sed Dei mandatum filio charissimo & affectibus suis anteferendo, immortalē fidei & obedientiæ laudem promeruit. Conatus quidem est Sathanas eā laudem Abrahamo eripere, & totius historie miraculum eludere per fabulam Iphigeniæ, quam poeta sinxerunt, Græcos suasu Calchantis & consensu patris Agamēnonis cū in Aulide ventos haberent aduersos, Dianæ obtulisse,

DIANAM

PR

Fuit autem, rebus  
ham: qui respon  
Dicitur: accipe man  
tiam Merita  
Dicitur itaq; Abra  
nam suam, &  
perxit ad locu  
4. Da tertio dicitur  
Dicitur, Abraham  
vixit & aderat  
6. Et accepit Abraham  
mana suæ vigne  
7. Dicitur vero Isaac ad  
eum misit. Et d  
8. Respondit Abraham  
ambo pariter.  
9. Venerunt itaque in  
sui ligna, & lig  
10. Erant itaq; Abra  
11. Tunc clamavit ad  
eum 193.